

Causam post hec dicam ¹⁾, cur turres iam dictas odiosas nobis fuisse vel esse dixerim. Quid ergo tunc erat animi! Nonne horruit visus? Nonne expavit auditus? Nonne corda tremuerunt et omnes corporis sensus stupendo aufugerunt? Me ipsum perpendo, memet ipsum recolens, qualis in illa temptatione inventus fuerim, magis reprehendo. Denique illud mihi pene accidit, quod supradictus Iob dicit amicis suis: *Statim* ^{h)} *ut se commoverit Deus, turbabit vos et terror illius irruet super vos* ²⁾. Quid enim? Numquid iustorum est et eorum, qui perfecte fidei sunt, turbari ⁱ⁾ statim ut ille se commoverit, et ruina terroris eius opprimi? Nonne potius hoc eorum est, statim ut senserint eum esse commotum, consurgere et tenere eum? Tales quippe dolens propheta Ysaïas ^{k)} defuisse vel deesse in gente peccatrice *Non est ait, qui invocet nomen tuum, non est, qui consurgat et teneat te* ³⁾. Hoc ^{l)}, inquam, perfectorum est, et huiusmodi perfectio iure a nobis maxime exigitur, qui prelati dicimur, ut luctemur contra iram Dei secundum exemplum primi prelati, scilicet Moysy ^{m)}, qui luctabatur et tenebat Deum, cum diceret ei Deus: *Dimitte me, ut irascatur furor meus* ⁴⁾. Et quomodo luctabatur? Nimirum flendo et rogando eum, vel sicut psalmista dicit: *stando in confractione*, id est in nimia humilitate mentis *in conspectu eius* ⁵⁾. Sic ante illum et sanctus Iacob cum eo ⁿ⁾ luctatus est ⁶⁾, videlicet flendo et rogando eum; quod manifeste et breviter docet propheta Osee: *In fortitudine sua inquit directus est cum angelo et invaluit ad angelum, flevit et rogavit eum* ⁷⁾. At nos postremi ego et similes mei, quamdiu tranquillus est Dominus et non se commovet, coram adsumus et interdum blandiri quoque et quodammodo arridere risu cordis audemus per fiduciam fidei, qua in eum credimus; ubi autem se paululum ^{o)} commovet et commotionem ipsam levi saltem significat tempestate aut unius ictu fulminis cum repentino tonitruo transiliente statim turbamur et pene diffidimus proculque ab-sistimus tamquam fugitivi clientes ^{p)}, in pace constantes, in bello fugaces, ⁷⁰ in prosperis magnanimi, in adversis pusillanimes et timidi, vixque speramus quod invocantibus nobis aliquis respondeat et vix ad aliquem sanctorum amicorum eius convertimur ⁸⁾ ut teneat eum, quia pro conscientia turbati sumus ^{l)}. Ego vero maxime turbatus fui, quippe qui pene ^{q)} nudus aufugi ⁹⁾ et sedi procul ab incendio, procul

^{h)} Statimque B ⁱ⁾ turbati A ^{k)} Esaias AJ, Isaias M (stets) ^{l)} Hoc . . . turbati sumus fehlt J ^{m)} Moysis AM ⁿ⁾ eodem M ^{o)} paul. se AM ^{p)} dicentes B ^{q)} pene fehlt B

¹⁾ S. u. c. 8 ²⁾ Iob 13, 11 ³⁾ Jes. 64, 7 ⁴⁾ Exod. 32, 10 ⁵⁾ Ps. 105, 23 ⁶⁾ Gen. 32, 24 ⁷⁾ Os. 12, 3—4 ⁸⁾ Vgl. Iob 5, 1; s. u. c. 18 ⁹⁾ Vgl. Marc. 14, 52